

nobis est cum corpore Christi, ex qua pabulum vitae aeternae haurimus. Signa igitur visibilia sunt instituta, vt excitent et confirment fidem de re inuisi-
[62:]bili et coelesti. Quae vero de reuerentia declamitant, sciant explosa esse
seuerissimo mandato Dei, qui vetat aliquem cultum instituere propria autori-
tate. Hoc si nobis non obstaret, malleus retinere missam pontificiam, quae
5 multo augustior pompa et etiam ad excitandam reuerentiam magis idonea
est, sed mentem oportet regi verbo Dei et fidem niti beneficio mediatoris, qui
vult coli in spiritu et veritate.¹⁹⁵

His ita constitutis, cum vsus manducati corporis nullus sit, quaelibet autem
10 res habeat suam denominationem a fine, manifestum est Christum hac ratio-
ne non esse praesentem propter hominem, quia tamen pani accidit ille sub-
stantialis respectus, videlicet quod cum pane adest verum corpus, reuera
mutatio quaedam pani accidit et ita propter panem, non propter hominem
Christus praesens est. Quare non pontificios, sed istam cateruam haec aurea
15 regula, quam Lutherus etiam probauit, respicit. Pontificiis substantia panis
euanuit et Christus adest, vt ibi fiat oblatio. Quod vero communiter excipiunt
omnes huic sacramento inesse praerogatiuam, hoc ostendant, quia, si haec
assuitur praerogatiua, iam non est sacramentum, sed singulare numen, quod
nunquam euincit. Adest Filius Dei sacramentis, vt in ministerio et quod ad
20 effectum attinet, in baptismo et coena similiter adest, sed modus ex diuersita-
te symbolorum vtcumque discerni potest sicut supra dictum est. Neglecta
vero praesentia sacramentali et praesentia efficaciae velle statuere praesenti-
am essentialem vel vnionem essentiae humanae cum pane est euertere sacra-
mentum et constituere rem toto genere a natura sacramentorum differentem.
25 Cogitent illi, qui sunt attentis, sacramenta esse visibilia signa beneficiorum,
quae offeruntur in promissione euangelij. Non igitur in hoc sacramento alia
praesentia vel alia manducatio corporis Christi instituitur quam ea, quae do-
cetur in euangelio, quod nusquam sancit manducationem realis corporis.
Haec igitur prima nostra esto ratio sumpta a mente Christi insti-[63:]tuentis
30 hunc ritum et a ratione formali sacramenti, quae certe in omnibus, qui non
sunt fascinati incommodis opinionibus, potentissima est.

II. Plane euertit haec interpretatio doctrinam de veritate naturae humanae in
Christo, quam vetus ecclesia longo et acerrimo bello contra Eutychem expli-
cauit et confirmauit. Sicut enim teste ipso Luthero damnatus est Eutyches,
35 non quod Christum adhuc negaret esse hominem, sed quod ipsi necessarias
proprietates corporis adimeret et ita, vt ipsius Lutheri verba retineam, rudis
esset, vt non posset ducere hoc argumentum: Tollens proprietates tollit natu-
ram.¹⁹⁶ Ita profecto similis est nostrorum aduersatorum vel inscitia vel teme-
ritas. „Panis est verum corpus vel essentiale corpus Christi“, aiunt. Oramus
40 igitur illos, vt vnica proprietatem corporis ostendant. Dicunt habet carnem

¹⁹⁵ Vgl. Joh 4,24.

¹⁹⁶ Diese Regel konnte im schriftlichen Werk Martin Luthers nicht verifiziert werden.